

concinnitatemque sermonum. Atque in ea fabulae parte reapse aliquid excidisse aliunde cognoscitur. Nam cum in glossario illo Plautino, cuius identidem mentio iniecta est, excerptae e Pseudolo glossae hoc se ordine excipiant: *manipulatim, alicunde, bombax, temperi, cupienter, nitidiuscule, altrinsecus, extraversus, simitu, quotumo, rursus, saeuiter, blanditer, afflicter*: etsi reliquae voces suis quaeque locis exstant, tamen inter *quotumo* quod ad v. 1173 spectat, et *saeuiter blanditer* quae leguntur v. 1290, *rursus* illud hodie nusquam comparet.*) Huc simile quiddam accedit etiam magis singulare. In duobus enim codicibus illius glossarii, altero Scaligerano, Darmstadino altero, post *afflicter* quod e. v. 1295 petitum est sequitur *fanus*. Quod etsi quid esse dicam nescio, tamen fidem facit plura in male habitis canticis illis, in quae desinit fabula, intercidisse quam nunc assequi coniectura liceat.

Denique habeo cur moneam, in orthographicis quaestionibus ne in hac quidem fabula me maiori constantiae operam dedisse quam in Bacchidibus: quo desiderio qui tenetur ei in editione minore quam praeparamus diligenter consuletur. Nunc plerumque satis habui, a certis quibusdam rebus si discesseris, singulis locis rariores librorum scripturas exhibere, sed ut ne usitatiores quidem expellerem, ubi consensu codicum fulcirentur.

Restat, ut addam quae dum plagulae corriguntur, et Fridericus Schoell et Oscarus Seyffert, qui ne huic quidem fabulae salutarem suam operam denegabant, mihi suppeditaverunt vel quae de meo adicere visum est.

82. 'abducturust m. cras — cras. PS. Eheu' Seyffertus. — 151. 'Nempe — ita animati estis — uincitis' coll. Poen. v. 323 idem. — 169. 'quidquid erit' Schoellius. — 201. Ambrosiani recensionem ad *staurus* spectare monuit Seyffertus. — 205. Num recte Ambrosianum secutus sim, nunc ipse dubito: reliquos libros qui sequi malet, locum sic poterit conformare: Sed nimum stultus, nimis fui || Indoctus: illine audeant || Id facere, quibus ut seruiant || Suos amor cogit? || Vah, tace' e. q. s.

*) Cf. Opusc. phil. vol. II p. 259, ubi de traiecta per errorem voce idem cogitat (v. 871).